Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 705

Quelle:
Copyright:

IV. *fol.* 141. ob memoratam membranarum jacturam ἀκεφαλως incipit Commentarius in Evangelium *Marci*, quem olim *Hieronymo* tributum magno conſenſu hodie repudiant Eruditi, quorum ſententias collegit *Oudinus* de *Scriptt. Eccl.* T. I. *col.* 844. *Vallarſius* vero illum, ut lectu non indignum T. XI. *Opp. Hier. col.* 783. repraeſentavit. An in *Codice* noſtro *Hieronymi* nomen praetulerit, dicere non habeo; quae enim ſuperſunt, ab iis *Cap.* XIV. verbis ordiuntur: — *paratur domino paſcha. Dominus domus petrus apoſtolus eſt, cui dominus domum ſuam credidit, ut ſit una fides ſub uno paſtore.* &c. Textus Evangeliſtae non integer nobis inſertus eſt, ut apud *Vallarſium*, qua in re is chartae parcere poterat. Variat etiam lectio. Ita Noſter *pecunię amore madefactus* melius pro *affectus*, item *frangitur in panibus* pro *in paſſionibus*, item *nec ſitis extinguitur* pro *nec ſitim extinguit*, item *non omnes emundat* pro *emendat*. At vero corrupte Noſter et ἀλογως: *Ubi felicior eſt, ſacrificium non emundat* pro *Sunt enim in eccleſia quos ſacrificium nullum emundat*. Finis, ut in Editis: *et Luca concordans enarrat.* Verum hederam ſubnexuit Librarius noſter hanc: *Hunc libellum breuiter comprehenſum qui imitando perſcrutatus fuerit. regna ei patebunt eterna. Lege ergo. et imitare aſſidue.*

CCCXXX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 148. f. per duas columnas a prima manu perbelle ſcriptus, ſed deinceps ſubpletus et emendatus, rubricis diſtinctus, et olim Monaſterii Ciſt. *S. Marię in poumgartenberge* complectitur S. *Auguſtini Sermones de Verbis Domini*, ſive in loca *Matthaei*, *Lucae* et *Johannis* praecedente Capitulari. Ordo, quo procedunt, *Vetus* ille eſt, quem *Mauriani* in Veſtibulo *Tomi* V. repraeſentarunt; itaque et illi etiamdum immixti ſunt, quos maturior Criſis deinceps in *Appendicem* ejusdem *Tomi* repoſuit. Paullo difficilius mihi fuit Sermonem nobis XIII. *fol.* 32. deprehendere, quod *Mauriani* ejus principium mutavere. Cum enim nobis ineat: *Cum ſanctum euangelium legeretur, audiuimus nauiculam periclitantem* &c. maluerunt illi Codicibus optimæ, ut ajunt, notæ adducti ordiri: *Audiuimus et quodammodo vidimus in lectione præſenti navicellam periclitantem* &c. et ſic Sermonem ad *col.* 131. *Append.* ablegare, quem, cum ipſi praevie fateantur, in ſuis illis Codicibus *Eraclii* nomen praeferre, non video, cur non alteri *Eraclii* Sermoni *Auguſtinianis* genuinis *col.* 1523. continuo ſubdito potius adjunxerint. Sermonibus his *de Verbis Domini* additus eſt poſtremus *Sermo S. Auguſtini de ſcripturis ueteribus ac nouis contra arrianos*, qui incipit: *Sancta et diuina eloquia fratres iugiter* &c. Commune id

R. 3067